

Änderung der Umschreibung der Kirchenprovinz Paderborn

Dekret der Kongregation für die Bischöfe vom 24. Oktober 1994

in: AAS 87 (1995) 324

Spirituali bono christifidelium solliciti, Sacrorum Antistites quorum interest, audita Conferentia Episcoporum Germaniae, a Sancta Sede enixe expostulaverunt ut Ecclesia Hildesiensis, hactenus Provinciae ecclesiasticae Paderbornensi spectans uti suffraganea dioecesis Provinciae ecclesiasticae Hamburgensi aggregaretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ludovici Kada, Archiepiscopi tit. Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas, animarum saluti valde profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ad iuris conventi normam, separat Ecclesiam Hildesiensem de Provincia ecclesiastica Paderbornensi eamque metropolitico iuri Archiepiscopi Hamburgensis subicit.

Ad haec omnia perficienda, Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Ludovicum Kada, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

